

Miscellanea

Formatio theologica in Abbatia Wiltinensi (III).

Bis iam in hisce periodicis compendiose retulimus ea quae Dr. A. HAIDACHER scite et erudite publici iuris fecerat in *Veröffentlichungen des Museum Ferdinandeum* sub titulo generali : *Studium und Wissenschaft im Stifte Wilten in Mittelalter und Neuzeit* (Cfr. *Anal. Praem.*, XXXIV, 1958, pp. 350-361 ; XXXVI, 1960, pp. 146-156). Cum Dr. HAIDACHER, recenter, in *Veröffentlichungen des Museum Ferdinandeum in Innsbruck*, XLII, 1962 (ed. anno 1963), pp. 25-91, expositionem antea coeptam ulterius protraxerit, tractando in specie : *Im Zeitalter der staatlichen Unterrichtsformen*, cumque et in hac expositione plurima proferantur quae vitam intellectualem confratrum Ordinis nostri plenius exponunt, opus non inutile nos facere opinamur, in syntheses quodammodo redigendo ea quae Dr. Haidacher fusius exponit loc. cit.

Aetas considerata est saeculum decimum octavum. Dicitur solet in regionibus germanicis : Die Aufklärung. Indoles characteristic aetatis huius indicata fuit a Dr. A. HUBER, in *Anal. Praem.*, XXVI, 1950, pp. 47-54. Intentum generale erat : scientiis incumbere, praeiudicia semovere, errores rationales profligare. Ad hoc obtinendum multo plus quam antea scientiis « positivis » seu « naturalibus » uti aiunt, incumbebant docti. Minus sermo fit de rebus mysteriosis aut de revelatione. Minus curatur de philosophia rationali ; multo potius experientiam fovere intendunt. Intentum illud generale etiam ad campum religionis et theologiae transfertur. Multo magis considerationibus mentis humanae quam revelationis insistitur. Historiae momentum longe fortius quam antea tribuunt. Ratio agendi philosophiae ac theologiae scholasticae uti prorsus antiquata habetur, conceptus abstracti despiciuntur. Modus agendi hominum potissimum inquiritur et consideratur. Multo magis quam antea florent inquisitiones exegeticae, patristicae et historicae.

Etiam in Ordine Praemonstratensi, in specie in abbatia Wiltinensi, illa agendi ratio apparet. Abbas Löhr (1651-1687) ordinationem methodicam archivi conficiendam committit priori Laurentio

Stephani ; saeculo duodevigesimo Ad. Tschaveller « Annales » domus Wiltinensis redigit. Insuper serio cogitant de historia scientificè elaborata domus Wiltinensis conficienda.

Inter Wiltinenses canonicos illius aetatis eminuit absque ullo dubio Adr. KEMBTTER seu KEMPTER. Scribit de illo L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, Bruxelles, 1899, p. 438 : « On peut dire de lui à la lettre, qu'il a passé sa vie dans le service de Dieu, dans l'amour des livres et de l'étude ». Et A. HUBER, l. c., p. 50 : « Auf theologischen Gebiet scheinen die Prämonstratenser Oesterreichs und Böhmens eine bewusstere Hinwendung zur Autorität des hl. Augustinus, ihres ersten Ordensvaters, vorgenommen zu haben. Ob sie aber geschlossen den Augustinismus vertraten, müsste erst eine eigene Untersuchung klarstellen. Jedenfalls, als im Jahre 1759, im Kampfe gegen die Alleinherrschaft der Jezuientheologie, auch dem Thomismus und Augustinismus Lehrkanzeln an der österreichischen Universitäten eingeräumt werden mussten, da erhielten die augustinischen Lehrkanzeln in Wien und Prag die Augustiner, in Innsbruck und Olmütz aber die Prämonstratenser Adrian Kempster von Wilten und Bernhard Burkinje von Hradisch ».

Kempster natus erat in civitate Oenipontina (Innsbruck). Canonicum Wiltinensem ingressus, durante cursu philosophico in domo professionis suae, iuxta modum illius aetatis, saepius philosophicas publicas theses defendere debuit : diebus scilicet 29 ianuarii, 28 maii et 18 iulii anni 1726. Per quattuor annos deinde in abbazia Wiltinensi theologiae incubuit. Hoc curriculo absoluto, simul cum confratre Bernardo v. Recordin ad universitatem Oenipontinam missus est, ut inibi iuris studio sese daret. Mense septembri 1731 ipsi datum est iter instituere in abbatiam O. S. Benedicti in Ettal et O. Praem. in Steingaden. Anno 1736, philosophiae lector in canonia sua Wiltinensi constituitur ; et anno sequenti, lector s. Theologiae.

Modo diximus Kempster abbatiam de Ettal, O.S.B., visitasse. Constat ipsum et alios confratres Wiltinenses cum abbazia de Ettal frequentes relationes religiosas ac culturales coluisse.

Cum paulo post, abbas Wiltinensis, Stickler, cursum iuris canonici in canonia sua institueret, hoc munus Kempster concredidit, quod munus Kempster noster suscepit ab anno 1739 ad annum 1745 usque. Mox Kempster edidit primum suum librum scientificè elaboratum : *Prima et praevia Iurisprudentiae Sacrae Principia ex genuinis fontibus deducta*, Oeniponti, 1741, Typis Mech. Ant. Wagner, pp. 168.

Qui liber a viris in re peritis magna cum laude acceptus fuit. Kembter vero nequaquam sese in campo stricte iuridico occlusit. Campum stricte theologicum aut iuridicum apte, secundum fontes quibus uti ipsi datum fuit, cum historico aspectu coniunxit. Opera hac ratione ab ipso conscripta enumerantur apud GOOVAERTS, l. c., t. I, p. 438 s. Quibus haec duo opera adiungi debent : *Theologiae Patrum, praecipue secundum ductum S. Augustini Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione, SS. Eucharistia, in commodum AA. Theol. editus*, Augustae Videl., 1761, apud Chr. Deckart, pp. 654 ; *Introductio ad Theologiam Patrum, praecipue secundum ductum S. Augustini*, Augustae Videl., 1761, apud Chr. Deckart, pp. 323.

Kembter manifeste theologiam stricte speculativam dereliquit, ut ad theologiam magis positivam seu historicam sese accingeret. Sub hoc respectu, operam suam nullo modo recusavit cum cogitarent Wiltinenses de fundando historice cultu publico exhibito B. Andreae Rinnensi puerulo, anno 1462, die 12 Iulii, occisi a Iudaeis in odium fidei. Hoc opus magnum (pp. 312) paravit et edi curavit Oeniponte, a. 1745. Cultus publicus huic martyri in ecclesia Wiltinensi exhibitus mox approbatus fuit authenticæ.

Saeculo decimo octavo fere mediante, ubique Academiae scientificae variis in locis florere inceperunt, etiam in Austria. In Academia istis membra novas vias in considerandis et tractandis thematibus variis inire voluerunt, potissimum multo magis quam antea disciplinis historicis insistendo, iuxta « exigentias » aetatis. In civitate Oenipontina (Innsbruck) anno 1738 Academia talis initium sumpsit. Haec Academia, dicta Societas litteraria seu etiam Academia Taxiana (eo quod comes Leopoldus von Thorn und Taxis locum eminentem in illa fundatione assumpserat), etiam « Societas Silentiariorum » a quibusdam dicta fuit, ratione silentii a membris servandi de thematibus in sessionibus Academiae tractatis. Membra societatis illius e cultoribus omnigenae scientiae proveniebant. Canonici Wiltinenses fundationi illius Academiae omnino favebant ; Wiltinenses, Kembter et Recordin, inter membra academiae annuerantur. Eminebat vero inter membra Academiae Wiltinensis praeclarus professor Casimirus Grustner, qui constitutiones Societatis in forma perfecta latina composuit. Recordin ex sua parte in Academia locutus est de utilitate et dignitate historiae.

Kembter anno 1754 instituit iter in Italiam ; qua occasione inter membra academiae « degli agiati » in Rovereto assumptus fuit. De

itinere isto postea Kembter plus quam semel verba habuit in academia Wiltinensi.

Abbates Wiltinenses Stickler et Pussieger et ipsi postea membra Academiae dictae facti sunt.

Studium Academiae semper fuit nova acquisita scientiarum scite componere cum iis quae ex institutis antiquis recte servari deberent.

Illae novae Academiae ac novae tendentiae non apud omnes cum plausu excipiebantur. Praesertim Patres Societatis Iesu in illis regionibus sese opponebant tendentiis illis novis, et defensores sese constituiebant theoriarum scholasticarum. Academiae vero non solum Praemonstratenses membra erant; etiam Patres Benedictini, Servitae, Fratres Minores, Minores Cappucini, et non pauci sacerdotes e clero saeculari Academiae dictae aggregati erant. Cum autem et abbates et religiosi prominentes Wiltinenses illius Academiae, inde fere ab eius initiis, membra essent, canonici illa sese quasi-publice aggregabat tendentiis Academiae. Hae novae tendentiae, cultus « novae » philosophiae, ab aristotelico-thomistica satis diversae, theologia sic dicta « positiva » ita validum influxum in monasterio Wiltinensi exercebant. Cumque ulterius novae illae tendentiae philosophicae ac theologicae non adeo clare determinatae essent, satis facile ad « eclectismum » deventum est. Ita in ipsa canonici Wiltinensi, Thomas Fenner, anno 1741, aperte theses Cartesianismi defendebat: *Philosophia atomistica seu iuxta methodum corpusculariorum*. Et anno 1741 theses impressas: *Conclusiones selectae ex universa philosophia mechanica*, in disputatione publica defendere iussit. Etiam scientiae « naturales », uti dici solent, in canonici Wiltinensi in honore habebantur. Wiltinensis Ignatius Burcklechner eminebat peritia in scientiis mathematicis. A L. GOOVAERTS, l. c., I, p. 95, recte dicitur: « mathématicien distingué ».

Kembter insuper relationes scientificas retinuit cum universitate monachorum Ordinis S. Benedicti Salisburgensi, et Academia Scientiarum in civitate Monacensi.

Interea gubernium Austriae sese magis magisque immiscere coepit rebus universitariis. Haec immixtio speciali modo adversabatur monopolio quod, iuxta plures, Patres Societatis Iesu nimis stricte exercebant in illis materiis. Hoc speciali modo evenit relate ad directionem Universitatis Oenipontanae. Anno 1748 a gubernio institutus est studiorum protector. Primus cui hoc munus concredidum fuit, erat comes von Wolkenstein, qui et ipse membrum erat Academiae Wiltinensis. Cum iste decreta ederet de emendatione

afferenda methodis quibus philosophia et sacra theologia tradebatur, et de materiis « utilioribus » addiscendis in illis disciplinis, Professores Oenipontini oppositionem non modicam manifestarunt.

Ideo studiorum Protector novos Professores in universitate Oenipontina instituere statuit. Ut hoc facilius et tutius obtinere posset, sese convertit ad Patres Ord. Cisterciensis in Stams et Praemonstratenses in Wilten. Magis in specie, ad hoc munus professorale destinabat Ioachimum PLATTNER et Hadr. KEMBTTER. Hoc intentum apud Wiltinenses profecto gratum erat. Non obstante oppositione PP. Societatis Iesu. Kembtetter, qui interea amanuensis abbatis Wiltinensis munere fungebatur, libros scribebat ac edidit. In specie : *Veterum scriptorum de re rustica praecepta in dialogos collecta* : editio prima, anno 1760, in Augusta Vindelic., altera, anno 1770, Mediolani. Paulo post, anno nempe 1661, editum fuit opus : *Theologiae Patrum, praecipue secundum ductum S. Augustini Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione, SS. Eucharistiae, in commodum AA. Theol. editus*, Augusti Videl., 1761, pp. 654. — Eodem anno, quod eandem domum editricem, evulgavit opus alterum KEMBTTER, nempe : *Introductio ad Theologiam Patrum, praecipue secundum ductum S. Augustini*, 323 pp. habens.

Die 17 novembris 1761, tandem decretum vi cuius ét Kembtetter, ét Plattner, O. Cist., professores proclamabantur universitatis Oenipontinae publicatum est. Inauguratio sollemnis eorum muneris, absque ulla mora, constitutum fuit pro die 23 novembris. In lectionibus inauguralibus publicis habitis a duobus novis professoribus, Kembtetter ex sua parte sermonem habuit de quodam rationalista gallico, qui doctrinam SS. Patrum ad genus litterarium fabularum reduci tentaverat. Ita de hac lectione inaugurali publica iudicatum fuit : « Cum omnium applausu wegen ungemein grosser darmit bezeugten Eru-dition ». P. Plattner, ita ephemerides facultatis theologiae Oenipontinae, ad diem 23 novembris 1761 : « acriter dixit, quod SS. Augustinus et Thomas a modernis passim negligantur ».

Paulo post alii professores in facultate theologica dictae universitatis fuerunt adiuncti, ad hoc ut « reformatio » facultatis iuxta intentum magis positivo-patristicum in praxim reduceretur.

Merito tandem quaeri potest cur praecise abbatiae Wiltinensi ad hunc scopum obtinendum speciale momentum tributum fuerit. Quaestio ista a Dr. HAIDACHER, I. c., satis fuse tractatur. Tendentiae « reformatrices » illae in canonibus Praemonstratensibus illo tempore vividae erant. S. Augustinus, huiusque doctrina, in summo honore

habebatur. Similiter, ineunte saeculo decimo octavo, tendentiae adhaerentes « novae philosophiae » apparent. Iam anno 1740, in abbazia Strahoviensi (Prag) philosophia Wolffiana defenditur. Anno 1746, abbas Lucensis (Hradisch, in Moravia), Waclavik, imperatrici suggerit ut ipsi concedatur duos professores ad universitatem Olomuncensem (Olmütz) mittere ut ibi philosophiam non-aristotelicam addiscant. Intentum istud tunc non fuit obtentum. Cum autem, anno 1759, in Austria in variis locis professores Augustinismum et Thomismum docentes instituerentur, iterum conati sunt canonici Lucenses ut uni e suis cathedra lectoralis in illa doctrina committeretur. « Der Abt des Stiftes, Paul Ferdinand Waclavik, war ein intimer Freund des theologischen Studiendirektors Stock in Wien, in dessen Hause die bedeutendsten Mitglieder der böhmisch-österreichischen Zirkarie verkehrten. Auf Stocks Anregung ging Waclavik auch an die Herausgabe von Büchern jansenistisch-reformkatholischer Prägung. Erst nach heftigen Auseinandersetzungen mit den Jesuiten erlangte ein Hradischer Chorherr den Lehrstuhl für augustinische Theologie an der Olmützer Universität, während für die thomistische Lehrkanzel ein Dominikaner eingesetzt wurde. Abt Waclavik selbst wurde 1762 zum Präses der Studienkommission ernannt » (Haidacher, l. c., p. 84).

Apparet ex his factis, studia domestica apud Praemonstratenses tunc recte ordinata esse, doctrinam SS. Patrum, in specie S. Augustini, ab iis cum magna cura exquiri, et « novas » tendentias philosophicas a pluribus exceptas esse. Deprehenditur quoque animositas quaedam adversus PP. Societatis Iesu. Praeterea negari nequit abbates Praemonstratenses tunc apud magnates Regni maximi haberi. Per plures annos apud gubernium locum eximium obtinuit Ioseph v. Spergs, archivarius Regni, et vir scientia excellens. Eius frater iunior, Norbertus v. Spergs, anno 1749 factus est novitius Wiltinensis, et postea prior et abbas canoniae Wiltinensis (1778-1782). Ioseph von Spergs « reformationem » Ecclesiae totis viribus fovebat. Placet referre quo sensu haec tendentia « reformistica » a Haidacher describatur : « Die Männer um Propst Müller, den Seelenführer und Vertrauten der Kaiserin, waren zwar gläubige Katholiken, vertraten jedoch — unter Anerkennung des päpstlichen Primates — im jansenistischen Sinne einem scharfen Gegensatz zum Zentralismus der römischen Kurie. Ihr Bestreben zielte auf eine Reform der äusseren Kirchenverfassung, die unter Zurückdrängung der zentralistischen Tendenzen eine Stärkung der landeskirchlichen Macht bringen

sollte, während auf dem Gebiete der Theologie die spekulative Scholastik zugunsten einer mehr positiven Methode zurücktreten sollte. Unbeschadet ihrer Bestrebungen legten diese Männer grössten Wert auf Kirchentreue und Rechtgläubigkeit und wiesen den Vorwurf des Jansenismus zurück. Dieser Begriff ist in diesem Zusammenhang eben nicht so sehr im dogmatischen Sinne zu nehmen, sondern vielmehr als Sammelbegriff für die reformkatholischen Bestrebungen der Zeit auf dem Gebiete der Kirchenpolitik, der kirchlichen Verfassung, der theologischen Methode und des religiösen Lebens überhaupt... Trotzdem war Spergs kein Jansenist im dogmatischen Sinne, wie seine Gleichgültigkeit in Angelegenheit der Bulle « Unigenitus » beweist. Wie allen Reformern schwebte auch ihm das Urchristentum als Ideal vor. Die Kirchengeschichte schätzte er als Grundlage aller echten Theologie. Aberglauben, Wundersucht und barocke Frömmigkeit fanden in Spergs einen scharfen Gegner » (l. c., p. 89).

Alter amicus et fautor Wiltinensium illo tempore fuit P. J. Riegger, iuris peritus. « Er wirkte seit seiner Berufung aus Innsbruck im Jahre 1749 in der Reichthauptstadt als Kirchenrechtslehrer im Sinne eines Staatskirchentums, das sich erst unter Joseph II. voll entfalten sollte. Reggers Beziehungen zu Wilten rühren aus der Zeit seiner Innsbrucker Lehrtätigkeit her. Als Professor der juridischen Fakultät und akademischer Würdenträger war er sehr häufig bei Disputationen und anderen Anlässen im Stifte zu Gast gewesen... Bei der Neuordnung der Universität Innsbruck erwies sich Riegger gemeinsam mit Spergs als eifriger Sachwalter des Prämonstratenserstiftes » (l. c., p. 91).

Hac ratione a Dr. Haidacher, innixo documentis variis plurimis, adumbratur historia externa aetatis illius in nonnullis canonis Ordinis nostri in Austria. Videtur insuper hanc historiam mereri ut opera professorum Kembter et coaevorum ipsa presius considerentur, ut eorum doctrina praecisa profundius perspicere posset. Quod Haidacher ex sua parte tam scite et erudite exposuit, hac ratione utiliter completeretur.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.